

1757. 4<sup>ta</sup> Octob.

169.



**RECTOR & PROFESSORES P.**

**JLLUSTRIS SCHOLÆ BREMENSIS,**

indicant

in diem 4<sup>to</sup>m Octobris

Exsequias

Matronæ Nobilissimæ

**MARIÆ MOTZ,**

ex Gente **HÜNEKENIA,**

Natæ Bremæ d. 11. Febr. A. MDCCXXVII.

Denatæ ibidem A. MDCCLVII. d. 1. Octobr.

Ætatis XXXmo Mens. VII. d. XX.

**BREMÆ,**

Typis, Viduæ b. H. C. Jani, quondam Jlluſtr. Gymnaſii Typographi.



RECTOR & PROFESSORES

ILLUSTRI SCHOLAE BREMENENSIS

indicant

in diem dnm Uctobris

Extempus

Matrone Nobilissima

MARTINAE MOTT

ex Gente HÜNNEKEN

Inter Bremae h. in Febr. A. MDCCXCVII



Si quicquam memoriam defunctorum matronarum condecorat, id certe facit, laus pia illarum mentis, iuste promerita, quam sanctissimus Sospitator tribuit, vivae Mariae, quod elegit bonam conditionem, sive meliorem portionem sortitae, non auferendam ab ea (Luc. X, 42.) Interpretum plurimorum iudicio, dictio *αγαθὴς μερίδος* figurata & ex emblemate explicanda est, illorum vero ingenio, plura sunt inventa & optioni exposita, ex quibus per allusionem petitam esse, existimarunt diversi sed discrepantes. Iudicio (MALDONATI ad l.) ex ritu dividendae hereditatis apud priscos Romanos derivanda est, filio primogenito bona in partes dirimente & disponente, post genitis eligentibus illam quae optime placeret, quod arrideret remque declararet, liquidem ulla hereditatis, rerumque quae ad illam spectant, mentio in connexis deprehenderetur, aut Marthae cura ad praesens negotium posset trahi, denique si constaret, ritum istum apud Judaeos usu fuisse receptum. Alii ad convivia, quasi ad proximum, Martha id Sospitori summa cura, forsan & nimia, parante, respici putarunt, in quibus convivis spectatioribus, portiones potiores atque praestantiores distributae sint (BORREMANSIUS Varr. Lect. pag. 153.) Verum non de oblata, sed de electa portione sermo est. Idem valet ad illorum sententiam, quibus obversatur distributio Palaestinae inter tribus (KEUCHENIUS ad l.) aut portio Levitis data, quae erat ipse Dominus, absque hereditaria terrae possessione, qua reliquae fruebantur (AMELIUS Obj. P. II. pag. 837.) dum illarum fors non electa erat, ut Mariae, sed nutu atque decreto divino, ceciderat. Absque peregrina negotio, imagine, verba ex usu vulgari loquendi, satis intelliguntur. utpote declarantia utilius, quod in optione ex pluribus, secundum sapientiae amussim, praefertur minus utilibus, sive ad minus & negotia adtendas, (vid. ELSNERIUS & KYPKIUS ad l.) sive ad alia quaevis. Plana sunt omnia, ut illustrationem, ex longe conquisitis rerum figuris petere, neutiquam sit necesse, sed haec potius conducat evitare, id quod nimium est in eruendo S. Scripturae, ex praesidiis philologicis, sensu.

Mar

Martha περιπαύμενη curis districta, ob ministerium domesticum & ad observandum decorum (KREBSIUS *Obs. in N. T. ex Josepho, & PALAIRET ad l.*) aliis intenta, Maria vero ad doctrinam Servatoris, ut illam ex ore ejus hauriret, ad ejus pedes confidens, encomium præ illa indepta est. Sollicita Martha ut Dominum cibus pasceret, Maria ut ab illo pascereetur, verbis, ut audiunt, vitæ æternæ, majus tulit præmium, durans scilicet, non in morte & rerum hujus orbis catastrophe, intervertendum aut periturum, sed permansurum post fata. Neutiquam quidem peccavit Martha, decori, ex amore proximi æque ac reverentia erga summum generis humani doctorem, studiosa, nisi quod ex animi distractione negligeret animam tractandi & acquirendi, quæ ipsi magis forent proficua, meliora tamen peregit Maria, probe sciens Domino atque generis humani restitutori, majorem deferri honorem, salutis ab ipso manifestandæ & parandæ, desiderio, quam curis, ad ευσχημοσύνην, virtutem cæteroquin requisitam & crebrius commendatam, tendentibus, dum occasio istud testandi, mox cessans atque deficiens, aderat. Uti prudens quisque, opportunitatis est observantissimus, sic sapienter instituens optionem suam, præfert animam, dum adest ad magis utilia, negotiis dilationem patientibus, in aliud tempus rejectis. Interea rei salutis cura cum studio, isto exemplo matronis, quæ Christo nomen dederunt, commendata, sicuti, dum impenditur ut decet, illius spem propter pollicitationes Dei, fide nunquam destituendas, certam facit, sic memoriam sectatricum Mariæ, post excessum ex hac vita, reddit, una cum exemplo, quo aliis præluxerunt, desideratissimam. Illæ Deo gratæ, proximo virtutis & pietatis justo æstimatori, charæ ac acceptæ, suarum ipsarummet bono impetrant, quod consequuntur (ut ait AUGUSTINUS *sol luy. cap. 13.*) nullius egent & quod consequuntur, nunquam dolent, quodque possidentes satiat illarum desiderium. Hoc sensu, ex electa optima portione oriente, usum rerum caducarum dereliquisse, & ex nexu cum illis fuisse exolutam, Matronam laudatissimam, cujus nomen in fronte hujus tabulæ designavimus, ut præsumamus, vita ejus anteacta, ut vero credamus, letulus emortalis, jubent. Genus duxit ex gentibus maxime conspicuis, inter nos HUNEKENIA & inter Frisios HONERTIA, nata Parente Viro Nobilissimo & Consultissimo HENRICO HUNEKEN, Jcto & Secretario Civitatis seniore, fatum præmaturum filie lugente, Matre Matrona Spectatissima HESTER ANNA van den HONERT; Avo Viro Perquam Magnifico JACOBO Jcto eminentissimo & Consule inelyto, Avia T. T. GESA EDZARD, nata Amplissimi Senatoris STATH EDZARD & T. T. SARÆ von RHEDEN; Proavo Viro Illustri HENRICO J. V. D. Serenissimorum Ducum Lüneburgensium Consiliario, ad concilium Gentium Ryswici celebratum, legato cum plena potentia Splendidissimo, atque Civitatum Hanseaticarum nomine, Hagæ Comitum Residente, Avia T. T. CATHARINA CECILIA COCCEJUS, Theologi famigeratissimi & in comoda Ecclesiæ, gloriamque Patriæ nati, JOHANNIS COCCEJI & T. T. CATHARINÆ DEICHMANS, filia; Abavo Amplissimo Senatore JACOBO. Abavia MARGARETHA ZOBEL, HENRICI Spectabilis Collegii Seniorum sodalis atque ANNE CLAMPS, nata; Abavo denique GÖTCKE HUNEKEN Magnario & eidem Collegio adscripto, Atavia METTA von BOBART, Amplissimi Senatoris JACOBI & WOMMELJÆ ESICH filia. In materno stemmate numeravit Avum Virum Illustrem JOHANNEM van den HONERT Jctum Celebratissimum & vices Præfidis in Dicasterio Frisicæ Auricensi gerentem, Aviam T. T. BEVAM BRAUER, filiam ABRAHAMI, magnarii Nordani; Proavum T. T. JOHANNEM, cui a Serenissimis Ducibus, Frisicæ scilicet, cura rerum bellicarum, Lüneburgicis vero aggerum, concredita fuit, quique sua experientia in aggeribus construendis & fluminibus coercendis, multas gentes suis consiliis, adfitasque Visurgi, in illa cohibenda, juvit, Proaviam JOHANNETTAM van HAERLEM, natam BLASH, Senatoris Dordraceni & GERTRUDIS van den HONERT; Abavum JOHANNEM, Satrapam Goudanum, Abaviam HASIAM van der MEYDEN, filiam CORNELII & MARLÆ van der MYLEN, Domine van der Meyden; Atavum denique DIDERICUM van den HONERT, cujus antiquum genus, ex majoribus nominatis van WESEL & dictis van den HONERT in linea recta ex præfatis Comitibus Hollandiæ descendere, probatum dedit Celeberrimus Theologus Leidensis JOHANNES van den HONERT, in elogio celebratissimi Parentis TACONIS HAJONIS, annexo hujus libro, de veracibus Deum cum homine viis, Ataviam GERTRUDEM van NUYSSENBORG, GERHAR-

